

et tibi ob eam rem, siquid usus venerit, 895
 lubens bene faxim. (meditor esse adfabilis,
 et bene procedit.) *GE.* bonus es quom haec existumas.
 10 *DE.* paullatim plebem primulum facio meam.

vii AESCHINVS DEMEA SYRVS GETA

AE. Occidunt mequidem dum nimi' sanctas nuptias
 student facere: in adparando consumunt diem. 900
DE. quid agitur, Aeschine? *AE.* ehem, pater mi, tu hinc eras?
DE. tuos hercle vero et animo et natura pater,
 5 qui te amat plus quam hosce oculos. sed quor non domum
 uxorem accersi? *AE.* cupio; verum hoc mihi moraest,
 tibicina et hymenaeum qui cantent. *DE.* eho 905
 vin tu huic seni auscultare? *AE.* quid? *DE.* missa haec
 face,
 hymenaeum turbas lampadas tibicinas,
 10 atque hanc in horto maceriam iubere dirui
 quantum potest: hac transfer: unam fac domum;
 transduce et matrem et familiam omnem ad nos. *AE.* placet, 910
 pater lepidissime. *DE.* (euge! iam lepidus vocor.
 fratri aedes fient perviae, turbam domum
 15 adducet, [et] sumptu amittet multa: quid mea?
 ego lepidus in eo gratiam. iubere nunciam
 dinumeret illi Babylo viginti minas.) 915
 Syre, cessas ire ac facere? *SY.* quid ago? *DE.* dirue.